

# De educationis condicionibus mutatis et Latine docendi rationibus mutandis\*

Facile non est, sodales, dominae dominique maxime honorabiles, coram hominibus et litterarum Latinarum et rerum scholasticarum peritissimis aliquid novi proferre, praesertim quod in rebus didacticis fere „nullum est iam dictum, quod non sit dictum prius“, ut ait *Terentius* in Eunicho (prol. 41). Periculum est enim, ne res ad scholam et proprie ad ipsam institutionem linguae Latinae reformandam pertinentes aut nimis generaliter ac summatim exhibeantur (nempe ut eas quam plurimi auditores intellegant atque etiam adprobent) aut contra ne nimis specialiter tractentur, ita ut pauci auditores sua ipsorum experientia nixi verba oratoris ex aequo aestimare possint, quia usus et experientia rerum scholasticarum hodie in omnibus fere terris et provinciis et locis magis minusve inter se differunt. Ita fieri potest, ut quaedam consilia didactica ad quasdam condiciones aptissima aliis condicionibus minime sint idonea.

Tamen opinor et spero res non adeo inter se dissimiles esse, ut omnino non possint comparari. Praeterea etiam ex ipsis differentiis semper aliquid disci potest, id est ex alienorum virtutibus et vitiis, ex eorum experimentis et erroribus, e progressibus et detrimentis, quae aliae nationes vel fecerunt vel faciunt, sed etiam ex sententiis consiliisque singulorum hominum ex aliis populis oriundorum. In his rebus valet, nisi fallor, – mutatis mutandis – id, quod *Plinius maior* de libris dicere solebat: „nullum esse librum tam malum, ut non aliqua parte prodesset“ (ap. PLIN. ep. 3,5,10); et ego dicam: nullum experimentum esse tam inutile, ut non aliquid ex eo disci possit – etiamsi contrarium.

Quid ergo faciam? In animo est nec nimis generaliter nec nimis specialiter dicere *de educationis condicionibus mutatis et Latine docendi rationibus mutandis*. Sed priusquam de re ipsa loquar, liceat mihi primam partem promittere de usu ipso linguae Latinae, quam in hac oratione adhibere audeo, quamvis mihi conscient sim me non esse „nativum locutorem“ huius linguae, ut ita dicam. Primum igitur loquar de hodierno linguae Latinae usu activo (qui certe eos maxime decet, quorum est hanc

\* Der hier vorgelegte Text bietet den Wortlaut des Vortrags, den Herr Prof. A. Fritsch auf dem 8. Kongreß der internationalen *Academia Latinitati Fovendae* in der Sessio plenaria am 4. August 1993 in Leuven gehalten hat (s. MDAV 3/1993, S. 120f.). Dieses Beispiel lebendigen Lateins, das sich an den Vortrag „Ab Erasmo ad Asterigem“ anschließt (s. Heft 4/1989, S. 134–144), dürfte in dem Teil von besonderem Interesse sein, wo aktuelles Geschehen wie der Fall der Mauer (s. S. 110ff.) zur Sprache kommt. Die sechs „Problemfelder als Bildungsaufgaben des Gymnasiums“ sind im April 1994 beim Bamberger DAV-Kongreß in Arbeitskreisen intensiv diskutiert worden. – Dem Autor und den Herausgebern der Kongreßakten, Prof. Dirk Sacré und Prof. Jozef Ijsewijn, sei für die Erlaubnis des Vorabdrucks gedankt.

Mg

linguam iuventuti ut „nutrimentum spiritus“<sup>1</sup> tradere), deinde de condicionibus educationis et institutionis scholasticae mutatis, tum de rationibus Latine docendi adaptandis vel mutandis.

### 1. *De usu linguae Latinae activo*

Constat permultos homines hodie cantilenam eandem canere, scilicet linguam Latinam esse *mortuam* et ad res hodiernas non iam idoneam. Esse linguam antiquitatis et medii aevi et saeculorum praeteritorum. Sed nos, sodales, (oratione *Fidelis Rädle* attentissimis animis audita) bene novimus linguam Latinam illis potissimum saeculis latissime esse propagatam, quibus non iam fuit lingua nativa vel sermo patrius Romanorum antiquorum. Ergo lingua Latina cum ad Germanos venisset et in scholis Germanicis doceri atque etiam florere inciperet, secundum sententiam illorum dubitatorum iam pridem erat demortua. At contra illis temporibus lingua Latina a monachis Christianis (a *Fidele Rädle* optimo iure laudatis) aliisque bonarum artium magistris ad gentes Europae septentrionalis translata novam vitam vel, ut ita dicam, *secundam vitam* accepit. Postea autem, cum lingua et litterae Latinae aetatis aureae (quae dicitur) renascerentur, *tertia quasi vita* huius linguae exorsa est. Sed fortasse iam decantatae sunt istae fabulae.

Aliud argumentum contra usum activum linguae Latinae hodie proferri solet, quod maxime ad *verborum paupertatem* attinet: „egestatem linguae“ Latinae aiunt aptam non esse nec sufficere ad ingentem numerum rerum novarum et ad significationem subtilium cogitationum et affectuum nostrae aetatis. Certe, sed iam ipsi antiqui Romani hanc patrii sermonis sui egestatem cognoverunt et lamentati sunt et novas vias nova verba fabricandi quae siverunt et invenerunt. Ita *Lucretius* poeta queritur, quod non „concedit nobis patrii sermonis egestas“ quaedam inventa Graecorum „nostra dicere lingua“ (1,831 sq.; cfr 3,260); sed propter hanc „egestatem linguae et rerum novitatem“ opus esse „novis verbis“ (1,136–139). Hic locus tritus iam apud anticos quasi classicus citabatur, ut ex quadam *Plinii* epistula (4,18) cognosci potest. Etiam *Seneca* philosophus damnat has „angustias Romanas“, ut ait, et moleste fert, quod ipse quaedam verba vel cogitata Graeca „nullo modo Latine exprimere“ possit (ep. 58,7). Et *Quintilianus* in „institutione oratoria“ aperte confitetur: „paupertate sermonis laboramus“ (8,3,33). Simili modo *Aulus Gellius*, auctor „Noctium Atticarum“, de quo *Nicolaus Sallmann* hoc in conventu tam pulchre locutus est, vocabula Latina desiderat quarundam rerum, quae „neque singulis ... neque pluribus verbis ... tam dilucide tamque apte demonstrari Latina oratione possunt, quam Graeci ea dicunt privis vocibus“ (11,16,1), et „quod a Graecis perfectissime verbo uno et planissime dicitur“, *Gellius* „ne pluribus quidem verbis“ potuit „non obscurissime dicere“, ut ipse scripsit (11,16,9).

1 Cf. G. Büchmann, *Geflügelte Worte*, s.v. (*inscriptio bibliothecae regis Friderici II Magni anno 1780° Berolini perfectae*).

At e contrario *M. Tullius Cicero* ita sentit et saepe disseruit „Latinam linguam non modo non inopem, ut vulgo putarent, sed locupletiorem etiam esse quam Graecam“ (fin. 1,10; cf. 3,51; *Tusc.* 2,35). Romanos „non modo non vinci a Graecis verborum copia, sed esse in ea etiam superiores“ (fin. 3,5; cf. nat. 1,10). Notissimum est Ciceronis dictum: „nobis ... etiam verba parienda sunt imponendaque nova rebus novis nomina“ (fin. 3,3). Et erat ipse „inventor verborum novorum“ (fin. 3,5), nec dubitavit, si opus erat, nova verba fabricari (ac. 2,17). Ille princeps Latinitatis concedit, ut non solum physici et geometrae et musici, sed grammatici etiam more quodam loquantur suo; concessit etiam, ut opifex „vocabulis uterentur nobis ignotis, usitatis sibi. Quin etiam agri cultura ... eas res, in quibus versatur, nominibus notavit novis“, ut Cicero ipse dixit (fin. 3,4). Quo magis hoc nobis didacticis hodie faciendum est, si in lingua Latina vivido modo docenda necessitas cogit (or. 211). Accedit enim, „quod Cicero non tractavit omnes materias“, ut iam *Erasmus Roterodamus* ostendit, qui ipse hanc quaestionem adiecit: „Ergo si forte dicendum fuerit de his, quas ille non attigit, unde tandem petemus orationis supellectilem? an proficiscemur in campos Elysi ab ipso percontaturi, quibus verbis ille talia fuerit dicturus?“<sup>2</sup> Et alio loco Erasmus exclamat: „Quot milia sunt rerum, de quibus nobis frequenter dicendum est, de quibus *M. Tullius* ne somniavit quidem? At si viveret, nobiscum eadem loqueretur.“<sup>3</sup>

Ita denique etiam *Q. Horatius Flaccus*, quem abhinc duo milia annorum ex hac vita in illos „campos Elysi“ abisse sollemniter recordamur, poetis quidem nova verba fingere et sermonem patrium ditare permisit: „licuit semperque licebit“ (cf. ars 52–58).

Certe, dicat quis, isti erant natione Romani, quibus lingua Latina erat sermo patrius. Sed lingua Latina praeter omnes linguis singulari modo vivere pergebat, ob eamque causam iis, qui eam legendo, docendo, discendo, scribendo, loquendo, audiendo tradunt, per omnia saecula concessum erat caute quidem et diligenter et secundum normas ipsius linguae Latinae nova verba fingere novisque rebus nova nomina imponere.

In his rebus ego quidem libenter *Comenium* (1592–1670) sequor, cuius natalis quadringentesimus anno superiore toto fere orbe terrarum celebratus est. Joannes Amos Comenius, qui natione erat Moravus, lingua Bohemus, professione theologus, propter fidem evangelicam profugus, maxime autem scholarum reformator pansophicus, usque ad hanc aetatem nostram iure ac merito quasi auctor et conditor artis didacticae habetur. A multis haud iniuria „praeceptor gentium“<sup>4</sup> vocatur, et

2 Erasmus Roterodamus, „Dialogus cui titulus 'Ciceronianus' sive de optimo dicendi genere“, in W. Welzig (ed.), *Erasmus, Ausgewählte Schriften, Ausgabe in acht Bänden, Lateinisch und deutsch* (Darmstadt 1972), p. 66.

3 Ibidem, p. 100.

4 A. Fritsch, „Comenius praeceptor gentium Europae“, in *Acta Symposii Latini „De lingua Latina vinculo Europae“*, Parisiis in Instituto Finnico 25–27 m. Oct. anno 1991 (Bruxelles, 1992), pp. 87–102, p. 87.

certe est unus ex iis, quos Seneca philosophus olim „paedagogos generis humani“ appellaverat (cf. ep. 89,13). Comenium permultos libros Latina lingua conscripsisse constat, id quod ille certe non tantum Latinitatis honoris causa fecit, sed quod lingua Latina illo tempore revera erat „veluti commercii inter gentes vinculum“ et „communis quidam Mercurius seu interpres“, ut ait ipse.<sup>5</sup>

Itaque Comenius sermone Latino et in loquendo et in scribendo expedite et liberaliter utebatur. Servabat quidem eam Latine dicendi et scribendi rationem, quam Cicero et ceteri litterarum Latinarum principes per saecula observare solebant, nec tamen servilem in modum huic normae paruit, sed libertatem sibi vindicavit, praecipue in copia verborum augenda. Cum eum librum scholasticum edidisset, qui inscribitur „*Ianua linguarum reserata*“ (anno 1631;ho), non deerant, qui Latinitatem eius vituperarent. Quamobrem illam „*Apologiam pro Latinitate sua*“ conscripsit<sup>6</sup>, in qua exponit se voluisse „nomenclaturam [...] rerum condere“ et haec verba adiungit: „Quam [nomenclaturam] non semper ex Cicerone aut priscis habere potui: etiam cum modernis de rebus modernis loquendum fuit.“ Tum pergit disserere de ratione, qua voces necessariae apud antiquos non occurrentes suppleantur, quia voces, quas antiqui reliquerunt, non sufficient omnibus rebus exprimendis. „Antiquos“, ait, „multis caruisse rebus, quae post demum aut naturae observatione deprehensae aut artis ope inventae sunt“. Deinceps hoc argumentum profert, quod mihi hoc loco maximi momenti esse videtur; ait enim: „Si quis dicat aut cogitet, *Illis* [i.e. Romanis antiquis] fortasse *hoc licuisse* [i.e. nova verba fingere], *quibus sermo Latinus fuit nativus, non nobis*, Respondebo: *Qui succedit in locum, succedit in ius.*“<sup>7</sup>

Hac autem in quaestione nostra memoria optime meruerunt Pater Caelestis Eichenseer Saravipontanus et cooperatores eius, qui non solum id periodicum edunt, quod inscribitur „*Vox Latina*“, sed etiam alios libros atque vocabularia; deinde etiam ii, qui in Civitate Vaticana commentarios periodicos edunt, quibus titulus est „*Latinitas*“. Ibi olim divulgavit Arrius Nurus (Harry C. Schnur) commentarium suum praeclarissimum et hodie quoque lectu dignissimum, qui inscribitur „*De linguis renovandis*“.<sup>8</sup> Neque hoc loco omittendum est illud Vaticanum commentarium officiale, cui titulus est „*Acta Apostolicae Sedis*“, quamquam ecclesia Romana catholica his viginti quinque annis nimis neglegenter permisit, ut *Latinitas*, magnum illud patrimonium generis humani „culturale“, toto orbe terrarum ingens detrimentum

- 5 J. A. Comenius, „*De reperta ad Authores Latinos, prompte legendos et clare intelligendos, Facili, Brevi, Amoenaque Via, SCHOLA LATINA, Tribus Classibus divisa*“ (1651), in *Opera Didactica Omnia* III 113 sqq.
- 6 J. A. Comenius, „*Pro Latinitate Ianuae Linguarum sua illiusque praxeos comicae Apologia*“ (1657), in *Opera Didactica Omnia* IV 27–42.
- 7 Cf. D. Liebs, *Lateinische Rechtsregeln und Rechtssprichwörter* (München, 1982), J 145: „Is qui in jus successit alterius, eo jure quo ille uti debebit.“ Liber sextus 5,13,46; Dig. 50,17,177 pr. (Paulus).
- 8 A. Nurus (= H. C. Schnur), „*De linguis renovandis*“, in *Latinitas* 19 (1969), 283–289; cf. etiam *Vox Latina* 12 (1976), 13–19.

caperet.<sup>9</sup> Nec praetereundi sunt *Nuntii Latini* Radiophoniae Finnicae Generalis, qui omni septimana per totum paene orbem terrarum emittuntur quique non pauca nova verba Latina bene intellegibilia divulgant. Sed satis de novis verbis fingendis et adhibendis. Mea enim magis refert copiam sermonis Latini translaticii penitus cognosci et in scholis ad res cottidianas exprimendas adhiberi.

Sed si de rebus cottidianis Latine communicare aggredimur, per brevi tempore animadvertisimus non linguam Latinam esse inopem, sed nos ipsos verborum Latinorum esse inopes. Piget nos tot annos Latine didicisse atque etiam docuisse nec tamen quicquam ex tempore emendate narrare vel ad rogatum respondere posse. Quae ut difficultates superentur, opus est copiam verborum ac locutionum sibi acquirere, praecepta grammatica memoriae mandare, imprimis autem opera scriptorum Latinorum quam diligentissime legere. Tales autem exercitationes, ad quas maxime Latine colloquendo et scribendo incitamus, nobis *Latine docentibus vel doctulis* magno usui sunt, quod eo modo non solum ipsius linguae Latinae copiam et subtilitatem accuratius percipiemus, sed etiam singulorum auctorum Latinorum proprietatem ac varietatem melius cognoscemus.<sup>10</sup> Venio nunc ad secundam partem acroaseos meae, ut de mutatis condicionibus educationis referam.

## 2. *De mutatis condicionibus educationis*

Hic primum breviter quidem *de recentioribus mutationibus rerum politicarum*, deinde de condicionibus, quae ad cultum humanum civilemque attinent, dicendum est.

(a) Die nono mensis Novembris anni millesimi nongentesimi undenonagesimi (9. 11. 1989) praeter opinionem improviso *infandus ille murus* duodetriginta annis ante per totam Germaniam et Berolinum urbem ductus<sup>11</sup> primum etiam omnibus incolis partis orientalis tam diu inclusis rursus pervius factus est. Quomodo hoc fieri potuit? Certe eo, quod antea iam multae aliae res magni momenti gestae erant, quae, etsi vobis nota sunt, tamen et nunc *meminisse iuvabit*.<sup>12</sup> His enim rebus non tantum Germania, sed tota paene Europa, ne dicam totus fere orbis terrarum accepserunt (si fas est) *mutatas (dicere) formas*.<sup>13</sup> Sic sane nostris temporibus vetus illud

9 Cf. etiam G. Korzeniowski, „J. IJsewijn, Companion to Neo-Latin Studies I (Leuven, 1990)“, in *Gnomon* 65 (1993), 207–214 (p. 209): „Um so trauriger und beklagenswert ist, was IJsewijn über die Kirche hic et nunc mit Sorge bemerkt: «The last severe blow was given, perhaps unintentionally, by the Second Vatican Council» (43). «As a consequence most Catholic priests nowadays ... are no longer able to read the authentic text of the Vatican documents» (44). J.J. schrieb 'to read'. Wie steht es um ihre theologischen Forschungen?“

10 Cf. A. Fritsch, „De utilitate Latine loquendi“, *Vox Latina* 14 (1978), 138–142.

11 Cf. A. Nurus, „Vallum Berolinense (Menippea)“, *Vita Latina* 17 (1962), 66–76; iterum in A. Nurus, *Pegasus Claudius* (Saraviponti, 1977), pp. 163–175.

12 Cf. VERG. Aen. 1,203.

13 Cf. OV. met. 1,1.

proverbiū aptissimum esse videtur: „Tempora mutantur, nos et mutamur in illis“.<sup>14</sup> Brevisimo tempore ubique paene terrarum immanis illa dominatio communistica collapsa est, qua vita humana nimis diu „in terris oppressa“ iacuerat tamquam „gravi sub religione, / quae caput a caeli regionibus ostendebat / horribili super aspectu mortalibus instans“.<sup>15</sup>

Primum consociatio operariorum Polonicorum, cui nomen vernaculum est *Solidarnosc*, contra regimen communisticum resistere et pacifice repugnare cooperat. Adiuti sunt operarii illi ab ecclesia catholica, maximeque a Pontifice Maximo *Ioanne Paulo* huius nominis secundo, qui non solum primus post quattuor saecula pontifex erat ex alia ac Italica natione oriundus, sed etiam ipse popularis operariorum Polonicorum erat. Quae res operariis resistantibus summo emolumento fuit et improvisas consecutiones attulit, id quod paucis annis post *Michail Gorbatschow* ipse plane affirmavit.<sup>16</sup>

Interea in *Hungaria* quoque libertas renasci coepit. Tandem principes Hungariae non iam erant parati ducibus Unionis tum Sovieticae et ceterarum civitatum foedere Varsoviensi coniunctarum obsequentes esse. Aestate illius anni multa milia hominum, qui e communistica parte Germaniae feriandi et rusticandi causa in Hungariam venerant, ex hac terra in liberam partem occidentalem Germaniae patriae sua pervenire studebant. Limites Hungariae usque ad illud tempus eodem modo erant muniti atque obserati, quo modo ceterarum civitatum communisticarum fines, id est – terribile aspectu et vix credibile memoratu – moenibus lapideis, saepibus ferreis, custodiis innumerabilibus, armis et telis. Hungari autem, quamquam pactio Varsoviensi erant obstricti, *ne cives ceterarum civitatum sociarum in terras occidentales emigrare sinerent, tunc temporis audacter „velum ferreum“ perforaverunt et resciderunt et multa milia Germanorum de finibus suis in Austriam et inde in Germaniam occidentalem exire passi sunt*. Iis debetur gloria et gratia sempiterna!

Quantus amor libertatis, quanta laetitia, quantum rei publicae renovandae studium tum in hominibus fuerit, vix verbis exprimi potest. Adepta libertate et unitate recuperata Germani *gavisi sunt gaudio magno valde*.<sup>17</sup> Incredibile dictu est, quanta beatitudine homines ignoti tum inter se amplexi sint. – Sed ut in amore et coniugio singulorum hominum fieri solet, sic et in coalescente Germania postquam dueae partes patriae foedere firmo coniunctae sunt, primus ardor paulatim refrigescere et cuidam sobrietati, ne dicam crapulae, cedere coepit. Magis magisque in dies multae

<sup>14</sup> Quod dictum, quamvis Johanni Audoeno (Owen), poetae Cambrobritanno, attribuatur, tamen vetustioris originis esse constat. Cf. R. Tosi, *Dizionario delle sentenze latine e greche* (Milano, 1991. 1993), n. 533; cf. etiam G. Korzeniowski, „J. Ijsewijn, Companion to Neo-Latin Studies I (Leuven, 1990)“, in *Gnomon* 65 (1993), 207–214 (p. 211).

<sup>15</sup> Cf. LVCR. 1,62–65.

<sup>16</sup> Cf. Frankfurter Allgemeine Zeitung, 4. 3. 1992, p. 3. – Kathol. Kirchenzeitung für das Bistum Berlin, 15. 3. 1992, p. 3.

<sup>17</sup> Cf. VVLG. Mt. 2,10.

et magnae difficultates convictionis insuetae in omnibus fere partibus et privatae et publicae vitae emerserunt.

Sed ut *ad institutionem linguae Latinae* veniam, hoc quadriennio multae et magnae res in orientali parte Germaniae et urbis Berolini aut incohatae aut feliciter iam peractae sunt. — Veniam peto, quod iterum longius repeto et animos vestros ad memoriam quarundam rerum nuper gestarum revoco. Res publica Germanica orientalis, postquam libero suffragio populi tandem revera libera et democratica facta est, post paucos menses consulo parlamenti recens creati ad rem publicam foederatam Germaniae se adiunxit et secundum pristinum fere statum, qualis erat, *antequam* Hitler cum suis asseclis Germaniae potitus est, in quinque novas provincias foederatas divisa est. Caput autem Germaniae post longiores disceptationes iterum Berolinum declaratum est, quae urbs, multos per annos muro crudeli dilacerata et vexata, nunc tandem ex duabus partibus in unam civitatem rursus coalescere potest. In iis regionibus, quae a Germanis adhuc plerumque „*novae terrae*“ nominantur, *institutio linguae Latinae* magnis difficultatibus superatis *in integrum restitui et augeri coepit*. In unaquaque provincia novae leges latae sunt, quibus scholae reformatentur, et novae rationes studiorum decretae sunt, quibus *institutio Latina* per gradus et annos disponeretur.

Praeter Marchiam Brandenburgicam in omnibus provinciis Germaniae *lingua Latina* a discipulis *ut prima lingua peregrina* eligi et disci potest, ubique etiam *ut secunda et tertia lingua aliena*. Discipulis igitur licet linguam Latinam discere inde a quinta classe aut a septima, nona aut undecima classe. Sic ex condicionibus politicis et scholarum ordinationibus novis *magna varietas institutionis Latinae* exorta est.

(b) Veniamus nunc ad illas saeculi nostri *mutationes*, *quae sociales et „culturales“ vocantur*, quia ad omnes partes societatis humanae et ad humanum cultum civilemque attinent. Quales autem sunt istae mutationes, quibus necessario etiam condiciones educandi et docendi mutatae sunt? Sunt non pauci philosophi et alii viri mulieresque prudentes, qui de hac quaestione fundamentali vitae hodiernae atque futurae docte et copiose disseruerunt. Hoc loco satis est nomina paucorum commemorare, qui pericula et officia aetatis et societatis nostrae cognoverunt ac descripserunt, in quibus sunt *Hans Jonas, Neil Postman, Hermann Lübbe, Gertrud Höhler, Christa Mewes* et alii. Quorum investigationibus et scriptis nos philologi et paedagogi, qui vel in studiorum universitatibus vel in scholis publicis opere fungimur et quascumque disciplinas tradimus, docemur de periculis et officiis generis humani praesentibus atque futuris.

Tamen nolo in ingentem me locum inmittere et de fortuna totius generis humani disputare. Sed ut in omnibus rebus, ita etiam in rebus scholasticis opus est *condiciones*, i.e. principium, fundamentum, viam finemque agendi, ante oculos habere: Quidquid agis, prudenter agas et respice finem.<sup>18</sup> Hoc autem loco satis habeo quaedam lineamenta adumbrare.

*Consortio Philologorum classicorum Germaniae* hoc anno novam „*chartam*“ elabo-

18 Cf. R. Tosi, *Dizionario delle sentenze latine e greche* (Milano, 1991. 1993), n. 1567.

rare studet, in qua condicione et munera futura eruditionis generalis et institutionis specialis linguarum Latinae et Graecae – ab integro definiantur. In hac charta munera educationis ad futuras condicione generis humanae referuntur et in sex locos dividuntur, quos *Fridericus Maier*, novus praeses Consociationis palaeophilologorum Germaniae, nuper in eo libello, qui Theodisce inscribitur „*Sisyphus am Philologenberg*“, i. e. Latine „*Sisyphus sub monte philologorum*“, breviter, sed satis dilucide exposuit.<sup>19</sup> Quapropter non alienum esse arbitror eiusdem viri rerum didascalicarum peritissimi verba sequi et hoc loco, etsi multo brevius, referre, quos *fines educationis et institutionis* ille prospiciat.

Condicione vitae hodiernae, quibus iuventus initianda est, et condicione vitae futurae, ad quas ea praeparanda esse videtur, *Fridericus Maier*, ut ante dixi, in sex partes dividit, quas ipse nomine Theodisco „*Problemfelder*“ appellat, quas hoc loco Latine simpliciter „*quaestiones*“ appellare licebit sive „*locos*“ sive „*munera*“ sive „*postulata*“ sive (verbum e verbo expressum) „*regiones problematorum solvendorum*“. Enumerantur autem haec *sex generalia munera vitae*:

- (1) Primum attinet ad naturam et circumiecta tuenda.
- (2) Secundum spectat ad culturam et traditionem conservandas.
- (3) Tertium munus positum est in convictu hominum pacifice ordinando.
- (4) Quartum ad eruditionem scientificam et ad opus professionis pertinet.
- (5) Quintum est conscientia bonorum et inventio rationis vitae.
- (6) Sextum locum obtinent „*verbum et imago*“.

Quid haec munera vel loci significant, paucis quidem verbis explicandum est, prae-  
sertim cum et universa eruditio et specialis institutio linguae Latinae iisdem postula-  
tis respondere et convenire debeat.

(1) *Natura et circumiecta*. Hoc thema est quasi *topos* nostri temporis praevalens. „Mundus noster neque valoribus vacat neque ad libitum exauriri debet.“ Haec sententia, quam *Hans Jonas* philosophus elocutus est, ut lex ahenea mentibus adulescentium infigenda est. Oecologicam aequilibritatem conservare vel redintegrare est munus hominibus hodie viventibus mandatum, quod munus maxime posteritatis causa explere debemus. Hoc munus sine dubio hodie principatum tenet.

(2) Secundus locus est, ut *cultura et traditio* serventur. Hoc munus spectat ad

19 F. Maier, *Sisyphus am Philologenberg. Die Alten Sprachen vor neuen Aufgaben* (Bamberg, 1993). Hic libellus hoc loco exempli causa exponitur, quod auctor non immerito pro interprete palaeophilologorum Germaniae haberi potest. – Laudanda sunt etiam haec scripta: *Symposium Latein 2000* (16.3.–20. 3. 1992), Akademie für Lehrerfortbildung Dillingen, Akademiebericht Nr. 226 (Dillingen 1992). – K. Sallmann, „Die alten Sprachen und das neue Europa, in Geschichte und Tradition“, in *Festgabe aus Anlaß des 65. Geburtstages von Horst Rudolf Abe*, Sonderschriften der Akademie gemeinnütziger Wissenschaften zu Erfurt, Bd. 17 (1992), pp. 123–139. – K. Westphalen, *Basisprache Latein. Argumentationshilfen für Lateinlehrer und Freunde der Antike* (Bamberg, 1992 = *Auxilia* 29). – K. Westphalen, „Latein als Basisfach europäischer Kultur“, *Mitteilungsblatt des Deutschen Altphilologenverbandes* 25 (1992), 52–64.

historiam integre et incorrupte tractandam. Progressus sine respectu traditionis ad diminutionem victus et cultus humani civilisque dicit. Europa non tantum regio communis habitationis est politica et oeconomica, sed his demum nostris diebus magis magisque etiam basis culturae communis quaeritur. Hoc autem ita tantum fieri potest, si communio culturae revera sentitur, id quod hodie „*identificationem*“ appellant, quae iuventutem habilem et liberam reddit ad cognitionem alienarum culturalium, quales sunt sive in Europa sive toto orbe terrarum.

(3) Tertius autem locus est *convictio hominum pacifica*. Cum omnes nationes, et potissimum populi Europae orientalis, autonomiae studeant et hodie plus plusque hominum in fines terrae angustos confluant, communicatione et tolerantia maxime opus est. Pax est quasi unicus modus vivendi et hominum et civitatum, quod est bonum cottidie denuo cogitandum et ab integro reconciliandum, praesertim cum fluctus populorum migrantium societatem hominum insueto modo provocabunt et facultates pacis et tolerantiae severe probabunt.

(4) Locus quartus est *scientia et professio*. Hic totus locus hodie ab integro est aestimandus ac iudicandus, quod maximis opibus et novissimis machinis inventis operae singulorum hominum et gregum vehementer auctae sunt. Libertas autem investigationis scientificae ibi terminos habere debet, ubi integratati ac saluti generis humani periculum comparat. Qualitates, quae propriae sunt „*hominis fabri*“, iam posthaberi cooperunt virtutibus hominis universaliter docti, i.e. (ut ita dicam) „*hominis moderatoris*“ bene erudit. In locum eius, qui nimis speciali studio excultus est, hodie succedere videtur homo generaliter cultus. Ad illas facultates, quae verbis paene Latinis *cognitivae* et *dispositivae* et *creativae* appellari solent, tales qualitates accedere debent, quae ad ipsam personam hominis, ad communem sensum, ad socialem consuetudinem spectant. Huiusmodi facultates vel virtutes hodie apud Germanos „*qualificationes claviculariae*“ vocantur, quia sunt quasi *claves*, quibus aditus ad multa et diversa genera disciplinarum et negotiorum recludantur. Munus eruditionis personalis ab integro definiri debet.

(5) Quintus locus attinet ad *conscientiam bonorum et inventionem rationis vitae*. Haec quaestio eo maioris ponderis est, quod societas hodierna, quae pluralistica vocatur, adulescentes in hac potissimum re ineruditos et incertos deserere solet. Nec parentibus nec ecclesiis contingere videtur, ut adulescentibus talia vitae exempla ante oculos ponant, quae eos satis efficienter ad salutem simul suam atque publicam augendam attrahant. Iam in actis diurnis periculosus ille defectus educationis palam deploratur, qui a quibusdam doctis inter summas nostri temporis molestias numeratur. Quem defectum oriundum esse dicunt ex quodam animi habitu vel consuetudine nimis liberali, i.e. ex abusu libertatis in licentiam perversae. Officium educationis a parentibus ipsis non iam expletum ne scholae quidem mandari dicitur. Ille defectus multa alia damna ac vitia secum tulit, quae societatem humanam nunc vehementer premunt; quae vitia iam *Cicero*, *Sallustius*, *Seneca*, *Tacitus* civibus suis ante oculos posuerunt. Eorum libris per saecula traditis demonstratur, quid efficerint animus ingratus, arrogantia, licentia, cupiditas, luxuria, avaritia, lucri cupiditas, nimius amor sui, officiorum fuga, iniustitia, levitas in rebus, quae ordinem fidu-

ciamque postulant, invidia, inhumanitas similiaque. His autem damnis ac vitiis machinamenta communicationis electronica<sup>20</sup> omnino nihil opponere valent, ne televisio quidem; immo vero iuventutem magis fallaci specie decipere quam sensum et scientiam bonorum, officii, ordinis, tolerantiae eam docere solent.

(6) Sextus locus duobus verbis significatur, quae sunt *verbum et imago*. Haec pars vitae socialis propter progressus technicos in sumnum discrimen adducta est. Invenitur in multis pueris quaedam iactura facultatis loquendi et dicendi, quae a quibusdam etiam *vastatio sermonis* nominatur. Quae res coniuncta esse videtur cum nimia frequentatione instrumentorum electronicorum, quorum abusus id efficit, ut sermo humanus et socialis magis magisque restringatur et in formam tenuissimam contrahatur. Haec linguae iactura valde augetur malis exemplis, quae per *acta diurna*, per diversa periodica imaginibus referta, per instrumenta communicatoria in sensus adulescentium influunt. Sunt quaedam acta diurna, quorum sermo non solum vilisimus et vulgarissimus est, sed etiam omnibus vitiis corruptus et minutissimis sententiis fractus.<sup>21</sup>

Sunt in *televisione* permulti scurrae et garruli, qui loquacitate sua et innumerabilibus iocis et ludibriis spectatores alliciunt, ita ut homines ad ludum et iocum facti esse videantur<sup>22</sup>, pueri autem iam a prima infantia ad quosdam mores imitandos aut ad quasdam merces emendas assuefiant. Televisio iam parvulis infantibus non solum nuntios crudelissimos ante oculos ponit, sed non raro etiam falsam speciem mundi praebet. Per televisionem spectatores saepe falluntur, opinantur quidem se res ipsas videre, sed saepe species fallit. *Mundus televisificus* apud multos tamquam in locum verae vitae successit. Imprimis autem continua illa venditatio et ostentatio mercium televisifica pueros iam inde a prima infantia „omnia venalia habere“<sup>23</sup> edocet. Illi, qui mercium commendationem quaestus sui causa agitant, continenter et procaciter verbis blandis et adulatoriis, ne dicam lingua fallaci utuntur. *Pecunia non olet*.<sup>24</sup> Magnis opibus illud proverbium comprobare videntur, quod ait: *Mundus vult decipi, ergo decipiatur*.<sup>25</sup> Ita pueri iam a parvula aetate discunt mundum semper esse falsum et omnium fallaciarum plenum. Porro societas industrialis culturam scribendi amittit. Etiam vis symbolorum decrescit. Singuli cives Americani in anno tricena fere milia „telespots“, i. e. Latine fortasse „frusta televisifica“, spectare solent, ut ait *Neil Postman* in eo libro, qui inscribitur „Technopoly“.<sup>26</sup> Quibus rebus puerorum facultas loquendi magis corrumpi, quam excoli videtur. Sequitur, ut ait idem Postman, exinanitio sive evacuatio symbolorum et interitus culturae imaginum,

20 Cf. P. C. Eichenseer, „De instrumentis communicationis (IV)“, in *Vox Latina* 19 (1983), 398–421.

21 Cf. QVINT. inst. 10,1,130.

22 Cf. CIC. off. 1,103.

23 Cf. SALL. Catil 10,4.

24 Cf. R. Tosi, *Dizionario delle sentenze latine e greche* (Milano, 1991. 1993) n. 1780.

25 Cf. R. Tosi, ibid. n. 241.

26 N. Postman, *Das Technopol. Die Macht der Technologien und die Entmündigung der Gesellschaft*. Aus dem Amerikanischen von R. Kaiser (Frankfurt am Main, 1992), p. 183.

imminet etiam periculum clandestinae et inopinatae gubernationis mentium et sententiarum, quod periculum ex illis systematibus communicatoriis technicis facile et improviso exoritur. Itaque aesthetica et ethica verbi et imaginis excolendae sunt et a paedagogis novum munus flagitant.

### 3. *Institutio Latina postulatis respondere debet*

Haec igitur fere est *scena mundi* vel *scenarium*, ut hodie aiunt, cui etiam institutio linguarum Latinae et Graecae hoc tempore et in posterum respondere debet. Iam ad tertiam et ultimam partem orationis meae progressus sum. – Quid homines rerum didacticarum studiosi proponunt?

Statim confitendum est hanc totam quaestionem, quomodo institutio classica condicionibus hodiernis aptanda et mutanda sit, nec primo aspectu aut uno ictu solvi posse. Res est enim nimis multiplex, et sententiae doctissimorum inter se differunt. Nec possunt paedagogi omnem languorem et omnem infirmitatem in populo sanare<sup>27</sup> nec totum mundum emendare. Comenius quidem olim opus ingens conscripsit „*De rerum humanarum emendatione*“, quod opus constat ex septem libris, quorum quartus „*Pampaedia*“ et quintus „*Panglotia*“ inscribitur. Tot igitur et tanta erant iam tum illae quaestiones et difficultates generis humani, ut ad eas explicandas et enodandas septem libris opus esset.

Tamen nostrum est demonstrare, quidnam hodierna institutio linguarum antiquarum ad bene et humaniter vivendum afferre possit. Totam rem paucis verbis adumbravit idem *Fridericus Maier* eamque iterum in *sex magnas optiones* divisit, quas ipse Germanico verbo ex Latina lingua derivato „*Alternativen*“ vocat. Sunt quaestiones, quae nos quasi in quodam bivio collocare et cogere videntur, ut inter duas vias diversas dijudicemus. Singulae autem propositae optiones sunt haec:

- primum diiudicandum est, utrum institutio Latina proprie sit *linguae disciplina* (quasi autónomos vel sui iuris) an sit potissimum doctrina *litterarum*;
- deinde quaeritur, utrum linguae veteres magis *communicationi* servire debeant an solum *textibus* interpretandis;
- tertia quaestio ponitur, utrum magis lectio lenta, accurata, contemplativa, i.e. *microscopica* discatur et exerceatur an potius plurima lectio, id est lectio celerior sive comprehensio textuum *macroscopica*;
- quarta optio nobis proponitur, utrum institutio Latina magis *historiam litterarum* tractare an potius disceptationem *praesentium problematorum* agitare debeat;
- quintum quaeritur, utrum antiquitas (i.e. mundus Graecorum et Romanorum antiquorum) nobis hodie viventibus magis sit *imago mundi* nostrae vitae *contraria* an potius quasi thesaurus vel supellex exemplorum imitandorum;
- sexta optio est, utrum doctrina linguarum antiquarum potius modeste *intra parietes*

<sup>27</sup> Cf. VVLG. Mt. 4,23; cf. 9,35; 10,1; Lc. 5,15.

suos se teneat an terminos suos sua sponte *transgrediatur* et in quibusdam inceptis peragendis cum aliis disciplinis scholasticis cooperetur.

His omnibus quaestionibus, quae profecto fundamentales dici (nec hoc loco paucis verbis solvi) possunt, communiter respondendum est, ut non solum una, sed semper „*audiatur et altera pars*“.<sup>28</sup> Plerumque enim „*medio tutissimus ibis*“.<sup>29</sup> Remedium universale non exstat nec exspectari potest. Exiguitas temporis studiis linguarum veterum in schola concessi cogit nos, qui hanc institutionem fovemus vel sustinemus, ut in his rebus talem cursum quaeramus ac teneamus, qui discipulis ad vitam vere humaniter agendam auxilio et usui erit.

Itaque discipulis quam plurimis, ut meus quidem est animus, *complures et diversae viae ad Latinitatem cognoscendam* aperiantur, sicut iam apud complures populos usu venit, id est viae et breviores et longiores sive viae magis arduae et viae lenius acciles. Absit igitur falsa „uniformitas“ vel simplicitas, quae unam tantummodo formam huius institutionis eandemque longissimam ac plenissimam (aut e contrario unam brevissimam ac tenuissimam) patiatur et omnes discipulos una eademque via ad Latinitatem ducere velit. Finis tamen omnium nostrum communis sit, ut discipuli, qui id volunt et quorum parentes id volunt, particeps fiant magnae illius hereditatis Europaeae, quae in litteris Latinis omnium temporum recondita est, non solum in Latinitate Romanorum antiquorum, sed etiam in Latinitate medii aevi et recentiorum recentissimorumque temporum.

(i) Quod ad *primam optionem* attinet, illa exiguitas temporis nos profecto quasi ad quoddam bivium duxisse videtur, ubi nobis inter duas vias diversas dijudicandum est, quarum una tantum iniri possit: aut via linguae aut via litterarum. Iure interrogatur, num discipuli tam brevi tempore facultatem Latinos textus legendi ac vertendi assequi possint. Non pauci hoc negant atque concludunt satis esse linguam Latinam tantummodo ut *linguam*, i.e. velut *systéma grammaticae*, cognoscere; ita Latinam linguam esse *primum* fundamentum linguarum recentiorum discendarum, *deinde* subsidium institutionis patrii sermonis, praesertim si ambae linguae, Latina et vernacula, identidem inter se opponantur et comparentur, *tum* exercitium facultatis rationaliter cogitandi. Ita sentiunt imprimis parentes eorum discipulorum, qui gymnasia ad mathematicam et naturae scientiam aptata frequentant. His parentibus satis longum esse videtur curriculum Latinum trium vel summum quattuor annorum. Materias autem et argumenta, quae textibus antiquis continentur, non tanti aestimant, quam ut textus originales in schola legi necesse sit.

Alii propter exiguitatem temporis institutioni Latinae tributi *contrariam conclusiōnem* p̄aeferunt. Quorum sententia textus ipsi classici, i.e. cogitata et *argumenta litterarum*, ad eruditionem et humanitatem plurimum proficiunt. Sed cum tempore tam brevi elementa ac fundamenta linguae Latinae non iam satis firmiter disci possint, illi commendant, ut in scholis *potius translationes* legantur, i.e. textus, qui a doctissi-

28 Cf. D. Liebs, *Lateinische Rechtsregeln und Rechtssprichwörter* (München 1982), A 106.

29 Cf. OV. met. 2,137. – Etenim in rebus didacticis saepe, „sicut in plerisque rebus, mediocritas optima est“; cf. CIC. off. 1,30.

mis interpretibus ex Latino in sermonem patrium quam optime iam translati sunt.

Ambae solutiones huius quaestionis non satisfaciunt. Neque enim grammaticum fundamentum linguae ediscendae neque interpretatio textuum legendorum omitti debet. Ita *Fridericus Maier* solutionem medium proponit et his fere verbis in brevissimam formulam contraxit: Tractandum esse in scholis, ut ait, „*tantum linguae, quantum opus sit, tantum litterarum, quantum fieri possit*“. Ex hoc praecepto sequitur, ut in institutionis Latinae prima parte, quae maxime ad ipsam linguam ediscendam aptata est, nonnullae res grammaticae omittantur, quae in sermone auctorum legendorum minus frequenter occurrunt, quae tamen, si res postulabit, postea in singulorum auctorum pertractione specialiter suppleri possint. Talem igitur rationem Latine docendi *Fridericus Maier* commendat, qua *et lingua et litterae* quasi in „*modum integrum*“ inter se implicatae et coniunctae sunt, id quod ille Theodisce „*Integrationsmodell*“ vocavit.

Etiam ceterae optiones, quas commemoravi, revera minus binas vias omnino diversas indicant, sed potius bipartitum vel duplicum finem in eadem via assequendum.

(2) Quis enim negat finem ultimum et extrellum institutionis Latinae esse facultatem textus originales intellegendi et interpretandi? Sed quid sibi vult hic finis (vel ut vocibus Graecis utamur: hic *scopus* sive hoc *telos*), nisi ut discipuli habiores fiant ad humanam communicationem altiorem et magis universalem, quam hodierni „*communicationem historicam*“ dicere solent? Tamen hoc concedendum est: Facultas Latine loquendi hodie nusquam in Germania ut finis officiosus, ut *scopus* vel meta institutionis Latinae agnoscitur et appetitur. At crescere videtur numerus eorum, qui palam necessitatem Latine loquendi poscunt sive ut *finem* institutionis sive saltem ut *viam* vel methodum Latinae linguae altius percipiendae, id quod ego quoque libello meo impraesentiarum commendavi.<sup>30</sup> De hac re in superioribus Latinitatis vivae conventibus *Josephus J. Delgado*, vir doctus Hispanicus, luculenter et copiose disseruit, cuius „*Latine scripta*“ etiam nunc digna sunt, quae legantur.<sup>31</sup>

(3) Tertia optio, utrum magis lectio *microscopica* an *macroscopica* exerceatur, itidem non semel in omne tempus diiudicari potest, sed in singulis gradibus institutionis Latinae pro tempore et pro re consilium est capiendum. *Utraque* quidem ars legendi suo loco discenda et exercenda est.

(4) Quarta optio, utrum magis *historiam litterarum* an *disceptionem problematum praesentium* preeferamus, in schola non aliter exsolvi potest nisi utramque agitando. In omnibus enim rebus, maxime autem in iis, quae ad discendum difficiliores et laboriosiores videntur, discipuli optimo iure quaerere solent: „Quid ad nos?“

30 A. Fritsch, *Lateinsprechen im Unterricht. Geschichte, Probleme, Möglichkeiten* (Bamberg, 1990 = Auxilia 22).

31 J. Delgado, *Latine scripta. Disquisitiones ad humaniorum litterarum cultum* (Matriti, 1978); pp. 143–153 („Lingua Latina iterum universalis deveniat oportet“); 155–165 („Quomodo lingua Latina iterum universalis deveniat?“); 167–182 („Lingua Latina communis sit inter doctos homines“).

aut „Cui bono?“ Itaque cognitio historiae et interpretatio litterarum Latinarum, ubicumque id aptum videtur ac fieri potest, cum quaestionibus aetatis nostrae et experientia iuventutis coniungendae et conferendae sunt.

(5) Quinta quaestio, utrum antiquitas nobis existimanda sit ut *mundus omnino alienus contrariusque* an *mundus exemplorum etiamnunc imitandorum plenus*, hodie saepe ponitur. Sunt, qui dicant inter antiquitatem et praesentem aetatem tot et tantas esse differentias sociales civilesque, ut eas verbo Graeco „*allomorphiam*“ nominare consueverint. Quae vox contrarium talium societatis humanae formarum significat, quae propter suam „*isomorphiam*“, ut aiunt, nostro saeculo multo similiores esse videntur. Sed si hanc rem communi sensu nec nimis scrupulose consideramus, concedendum est magnas partes vitae antiquorum condicionibus aetatis nostrae perquam similes fuisse. Condicio enim humana omnibus saeculis pependit et pen-debit e quibusdam naturae necessitatibus, e donis periculisque caeli et terrae, maxime etiam ex operibus et moribus ipsorum hominum, quae sunt amor, odium, timor, gaudium, amicitia, inimicitia; sed etiam somnus, vigilantia, labor, otium; infantia, iuventus, senectus, morbus, mors; haec et multa alia omnibus hominibus omnium temporum etsi non paria et aequalia, attamen aliquo quidem modo communia sunt. Qui „*allomorphiam*“, i. e. dissimilitudinem aetatum, nimis extollunt, utilitatem cognitionis historiae in dubio ponunt, quam Cicero „*magistrum vitae*“ nominavit.<sup>32</sup> Ceterum non pauci scriptores antiqui opera sua plane ac proprie post-eritati, i. e. etiam nostrae aetati, destinaverunt.<sup>33</sup>

Ut est in proverbio „Artem non odit nisi ignarus“<sup>34</sup>, sic dicere licet: „Litteras antiquas non odit nisi ignarus“. Re enim vera in scriptis Graecis et Latinis omnium aetatum inest ingens thesaurus experientiae humanae<sup>35</sup>, quam cognoscere et cum

<sup>32</sup> CIC. de or. 2,36. – Tamen concedendum est, quod illustris quidam historicus nuperrime his verbis comprehendit: „Niemand mehr begibt sich heute in die Antike, um von den dort gefundenen Vorbildern zu lernen, wie man den neuen Menschen der Zukunft, seinen Staat und dessen öffentliche Regeln schaffen könne. Die Verantwortlichen für diesen Sinneswandel sind leicht auszumachen: Es waren die Historiker des 19. Jahrhunderts, die seit Niebuhr und Mommsen den Römern mit wissenschaftlichem Ernst und der Kunst der kritisch-philologischen Methode zu Leibe rückten und alle Idealbider vom Sockel stürzten. An die Stelle der Verehrung einer fernen Welt trat jetzt und unumkehrbar die nüchterne Rekonstruktion der historischen Wirklichkeit.“ W. Dahlheim, *Die griechisch-römische Antike, Band 2: Rom* (Paderborn, München, Wien, Zürich, 1992), pp. 13 sq.

<sup>33</sup> Ut paucos locos afferam, qui ad posteritatis iudicium spectant: CIC. Tusc. 1,31–34; off. 1,155; fam. 5,12,1; Att. 2,5,1; 2,17,2; SALL. Catil. 1,3; SEN. ep. 8,2 (posteriorum negotium ago); 21,5; 64,7; dial. 10,14,1; PLIN. ep. 6,16 (tradere posteris); 7,20,2; VITR. 7 praef. 1 (cogitata tradere posteris); HOR. carm. 3,20; PROP. 3,1; OV. am. 1,15; met. 15,875 sq.; PHAEDR. 3 prol. 32; 4 epil. 5 sq.

<sup>34</sup> Inscriptio „Musei Novi“ Berolinensis.

<sup>35</sup> Ludovicus Vives (1492–1540) in praefatione „*Colloquiorum de Lingua Latina*“ scripsit haec: „Latinae linguae permagnae sunt et ad loquendum et ad recte sentiendum utilitates; est velut *thesaurus quidam omnis eruditio*nis; quoniam magna et praestantia ingenia Latino sermone disciplinas omnes conscriperunt, ad quas nemo potest pervenire nisi per linguae

nostra vita conferre operae pretium est. Itaque et *distantia* et *propinquitas* aetatum observari debet; hoc enim prodest altiori eruditioni ac politiori humanitati: dignoscere, quid nobis cum antiquis commune sit, quid nos ab illis separat. Hoc ipsum est quasi summum bonum eruditioni saluberrimum, ut iuventus discat diuidicare inter temporaria et permanentia bona, inter mutabilia et immutabilia, inter fortuita et necessaria, inter res magni et parvi et nullius momenti.

(6) Ad sextam denique optionem pauca quidem verba sunt dicenda. Quaeritur, utrum institutio Latina maneat *intra suas regiones finesque an transgrediatur terminos* in quibusdam quidem inceptis, quae „*interdisciplinaria*“ dicuntur. Certe, „quam quisque norit artem, in hac se exerceat“<sup>36</sup>, et cavendum esse constat, „ne sutor super crepidam“.<sup>37</sup> Sed in schola fines vel termini disciplinarum semel ac saepius sunt transgrediendi, quia vita ipsa non finibus disciplinarum continetur vel coeretur. Recete itaque olim *Martinus Wagenschein*, vir et physicorum et rerum didacticarum peritissimus, monuit: „*Paedagogus facere non potest, quin fines disciplinae sua, in qua habitat, transgrediatur*. Quod si non facit, munus erudiendi e conspectu amittit. [...] Sin autem eos transgreditur, periculum est, ne ‚amans imperitus‘ evadat. Sed ut hoc compensetur, nos inter nos corrigimus et complemus alius alium.“<sup>38</sup>

Andreas Fritsch

illius cognitionem.“ Quae verba laudans memoravit J. J. Delgado, *Latine Scripta* (Matriti, 1978), pp. 173 sq.. – Cf. etiam J. IJsewijn, *Oratio inauguralis habita in VIII conventu Academiae Latinitati Fovendae* (Lovaniae, 1993): „*Opes Latinas immensas esse nemo nisi utroque oculo caecutiens non videt. Exstat thesaurus litterarum et documentorum cuiusvis generis infinitus et per plus duo millennia in toto orbe occidentali coacervatus.*“

36 CIC. Tusc. 1,41; cf. off. 1,114; HOR. ep. 1,14,44.

37 Cf. PLIN. nat. 35,85.

38 M. Wagenschein (1896–1988), „Zum Begriff des Exemplarischen Lehrens“, *Zeitschrift für Pädagogik*, 2 (1956), 129–153 (p. 129): „[...] der Pädagoge kann nicht anders, als die Grenzen des Faches, auf dem er zu Hause ist, überschreiten. Tut er es nicht, so verliert er seine bildende Aufgabe aus den Augen. [...] Überschreitet er sie, so kann er dilettantisch werden. Aber um das auszugleichen, berichtigen und ergänzen wir ja einer den anderen.“